



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia XLIII. De Templariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA XLIII.

D E

Templariis.

Celeberrimus quondam Ordo Equestris Fratrum Mansionis, seu Templariorum circa Annum Domini MCXVIII. suum sumpsit exordium per Hugonem de Paganis, Geofredum de S. Omero, aliosque septem viros inclytos, qui Hierosolymis in quadam Domo, juxta diruti Salomonis templi (hinc Templarii vocati sunt) rudera, à Balduino II. Rege concessa, congregati, prima sui Instituti fundamenta jecerunt; atque coram Patriarcha Hierosolymitano vota sua Deo nuncuparunt. Eiusdem sacri Instituti præcipua erat ratio, peregrinos & advenas fideles, devotionis causâ, loca sancta visitantes contra Barbarorum insultus, & potissimum adversus infestas Saracenorum machinationes tueri, vias ubique tutas reddere, hosque devotos, per Terram sanctam peregrinantes, fideliter comitari &c.

Primo ab ortu sui decennio recusabant plures in suam Societatem admittere. Interim ex oblati largissimis eleemosynis sat laute vivebant. Accedentibus deinde magnificis Sæcularium Principum & Ecclesiasticorum Præsulum muneribus, etiam bona immobilia possidere cœperunt; ac per varias

OrbisRegiones dispersi juxta proprium Arbitratum suum vivebant, donec in Concilio Tricassenti in Campania (non in Cretensi, ut voluit Genebrardus;) cui præsedit Episcopus Albanensis Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus, ac interfuerunt Archi-Episcopus Remensis &c. &c. cum quibusdam Abbatibus, inter quos S. Bernardus, ad instantiam ejusdem Hugonis & quinque Templariorum præsentium, fuit iis regula concessa; quam idem S. Abbas, ex ordinatione dicti Concilii, composuit, iisque observandam tradidit. Fuerunt illis tunc vestes albæ assignatæ; & demùm, jussu Eugenii III. Anno MCXLVI. crux rubra eorum palliis affuta.

Crevit deinde Ordo ille, auctusque intra exiguum temporis spatium numero, potentia & opibus; adeo, ut post centum & aliquot annorum intervallum 3000. Equites & infiniti fermè Fratres, quos *Servientes* nuncupabant, numerati fuerint: ac, si Mathæo Paris, Jacobo de Vitriaco habenda fides, habuerunt 9000. domos, quas *Maneria* appellabant. Quodvis autem Manerium poterat instructum subministrare militem, siveque alere stipendiis. Et qui tam inopes fuerant

tant ab initio; ut uno equo duo fratres uti
 debuerint, deinceps opibus abundantes in
 sæculo obtinuerunt divitias. Nulla quippe
 fuit Regio Christiani nominis, à qua, & in
 qua Templarii Equites, aut saltem Fratres
 Servientes, opimos reditus & prædia quæ-
 stuosâ non accepissent, quemadmodum
 prodit Guili. Tyrus *de Bello Sacro Lib. 12.
 cap. 7.* Cum autem his affluentibus cor ap-
 posuissent, in superbiam elati erraverunt ab
 utero, seu primævo suo Instituto: & dum juxta
 votum præsens prosperitas sequebatur, multo
 quam fuerant, de sanctitatis habitu pejores
 effecti sunt, ut loquitur S. Gregorius *Lib. Mo-
 ral. 31.* Fastu quippe turgidi Superiores Ec-
 clesiasticos æque ac Sæculares despexerunt;
 atque rebellionis Spiritu agitati Patriarchæ
 Hierosolymitano parere palam detrectârunt.
 Præterea potestate validi, ore truci, cristal-
 que erigentes, Regibus & Principibus vili sunt
 formidabiles, juxta illud Plut. *in Scylla, Mag-
 na potentia eorum, qui ipsam adepti sunt,
 ingenium mutat, & recordiam instabilemque
 & inhumanos mores efficit.* Contuera alias
 tributa Philippo Galliæ Regi persolvere
 summâ perveraciâ renuerunt: cum interim
 Rex ipsos compellere tergiversabatur, ratus
 illud Senecæ à vero non abluere. *Nemo
 potentes aggredi tutus potest.* Porro Templa-
 riorum insolentia atque intolerabilis proter-
 via insulabat vinci nesciis, illisque poterat
 commodè applicari, quod Historicus anti-
 quissimus Thucydides *Lib. 4.* de Athenien-
 sibus observavit. *Ita præsentem rerum successu
 tumebant, ut nihil sibi jam amplius resistere
 posse putarent. Et possibilia pariter & impos-
 sibilia seu magno seu parvo apparatu se con-
 secturos esse considerent. Causa hujus fiducia
 erat insperatus in rebus plurimis successus;
 & in eis ita spem confirmabat & agebat.*

Contigit inter hæc, ut bini Ordinis Equi-
 tes, Monfaucun Prior Montis Falconis in
 Provincia Tolosana, & Noffe Dei, Florenti-
 nus, jussu Magistri Generalis, in carcerem

conjecti, & pœnâ capitis damnati, effugis-
 sent; atque horrenda prorsus crimina, toti
 Ordini familiaria, detexissent Philippo Gal-
 liæ Regi; talia quidem; ut hic in litteris ad
 Commissarios notavit, qualia nec auris au-
 divit, nec oculus vidit, nec in cor hominis
 ascenderunt &c. Quibus proinde vix cre-
 dens, eorum deposita Clementi V. P. M.
 Piætavis præsens exhibuit. Hic per Bullam
 Anno 1306. die 13. Augusti Regi declara-
 vit, inquisitionem contra Templarios mox
 instituendam. Verùm Rex reversus, mole-
 stam sibi Pontificis cunctationem ultro ferre
 non valens (quod quidem animo conce-
 perat, ut Mezeræus, Bosuetus Galli perhi-
 bent) Anno 1307. die 14. Septemb. lit-
 teris ad Renaldum Vicedominum Pinquo-
 nii, Joannem de Varenis, & Bailivium
 Ambiensensem directis mandavit, ut singuli Fra-
 tres sine exceptione caperentur, & ipsorum
 bona qualiacunque arario Regis traderen-
 tur. Illius quoque mandato G. de Parisiis,
 Papæ Capellanus, Ord. Prædic. per Galliam
 Inquisitor Generalis, Confessarius Regius 22.
 ejusdem mensis aliis injunxit Inquisitoribus,
 ut contra Templarios procederent. Ea de re
 sic scribit Continuator Nangii in Chronico
 ad annum 1307. *Die Veneris post festum Be-
 ati Dionysii, 510. Idus Octobris omnes Tem-
 plarii, quotquot in Regno Francia sunt repe-
 rti, quasi sub ejusdem hora momento, illuce-
 cente scilicet sole, vel circiter, juxta decre-
 tum Regium, subito capiuntur ac diversa
 carceribus mancipantur.* Idem ad eundem
 annum memorat Bernardus Guidonis Lu-
 dovenlis Episcopus, Scriptor coævus in
 Chron. Roman. Pontif. In Anglia Thomas
 Walsinghamus *Hist. Angl.* hujusmodi arresti
 meminit. *Anno 1308. capti sunt omnes Tem-
 plarii per totam Angliam, præcepto Regis,
 uno die propter plurima inhonesta & enormia,
 fidei Catholica inimica, super iisdem prius per
 universum orbem captis, reperta & probata,
 & in diversis Regni castellis incarcerantur.*

In Aragonia pariformiter Zuristas notat in *Indicib. rerum Aragon. ad Annum 1307. A Jacobo II. omnes Templarii in custodiam traditi jussi 3. Non. Decembris.* Atque hoc modo alii de aliis Regionibus referunt. Attamen Proceres Germaniæ, ut in infligendis pœnis minus veloces, sic paulò mitiores fuerunt; quemadmodum ex sequentibus patebit. Rebus ita constitutis, quia Pontifex apud Regem de immissa falce in alienam messem graviter conquerebatur, Philippus, Sorbona interveniente, ab inquisitione destitit, duosque, in captivitate hucusque detentos; Equites Clementi misit. Ex quibus cum ipse alias ad se delata etiam percepisset, indulgit, ut quisvis Episcopus in sua Diœcesi contra inhabitantes Templarios inquisitionem juridicam institueret. Tunc prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.

Anno MCCCX. in Majo, ex Decreto Concilii Senonensis in Gallia, quadraginta quatuor Templarii (alii recensent sexaginta novem) fuerunt combusti. Anno autem subsequenti in Concilio Generali Viennensi conclusum, ut universus Ordo Templariorum, tot turpitudinum maculis infamis prorsus extingueretur. Fuitque haud diu post Bulla publicata. Nihilominus Anno MCCCXII. idem Pontifex Clemens cognitionem causæ & condemnationem Magistri Ordinis, ac trium aliorum in Ordine præcipuorum Sedi Apostolicæ reservavit.

Præcipua Templariorum flagitia leguntur tum in memoratis litteris Philippi; tum in iis, quas Generalis Inquisitor ad alios dedit, & quidem hic ita scribit. *Nuper ad Domini Regis auditum & nostrum per venit, videlicet, quod fratres quamplures Ordinis Militiæ Templi, si Fratres Ordinis valeant appellari, falso religionis nomen tenentes & habitum, detestabilem hæresim ac alias inauditam profitentur occultè: ita quod etiam in ingressu fratris cujuslibet præfati Ordinis, Cruce Domini cum ejus effigie præposita, Jesus*

Christus Dominus Noster per eum, qui recipitur, ter negatur, & vice qualibet conspuitur super Crucem & imaginem Jesu Christi. Postquam vestibus exuto ingrediente Præceptor vel aliquis ejusdem Ordinis ipsum auctoritate ejus recipiens ter receptum osculatur. Primo in sine Spine dorsi inferius, secundo in Umbelico, tertio in Ore, Recepto nihilominus injungendo, quod si quis fratrum hujus ei se commiscere velit, hoc patiatur receptus; & quod ad hæc tenetur ex Ordinis illius statuis, eoque prætextu fœdus naturale rumpentes, quod animalia bruta facere detestantur, se commiscunt abominabiliter dicti fratres &c. Vulgò autem ferebatur, quod Templarii adorarent cranium humanum inauratum cum proluxa barba, binis in fronte oculorum vice carbunculis, quod omitterent verba consecrationis in Missæ Sacrificio, quod potarent cineres hominis robusti igne consumpti: arguebantur insuper, proditorum, perjuratorum &c.

Quæ portentosa facinora humanam fidem ferè excedere videntur, ut non immeritò Mariana scripserit; Lectorem, si accusationis capita legerit, non facta, sed ficta potius similiaque anicularum fabulamentis esse judicaturum. Equidem ferunt Templarios plures in diversis Provinciis Galliæ, item Florentiæ, Pisis, alibi que in, & extra Italiam Inquisitoribus & deputatis Commissariis Apostolicis eadem fuisse confessos. Convicti pethibentur in Anglia, Aragonia, Castella, Lusitania, eorum quidem criminum, quæ singuli ex conjecturis & rumore proferebant. Alia etiam Abraham Bzovius, Raynaldus, Baronii Continuatores, norarunt. Produnt alii, quod Ordinis Magister Generalis, dum hæc nefanda sibi objicerentur in judicio, cui tres Cardinales intererant, omnia illa falsus fuerit. Quidam etiam Historici non despicabiles, nonnullos alios Equites unà confessos eadem, tradunt: adduntque Sabellicus *Enn. 9. Lib. 7. &c.* quod ob hæc

sinceram confessionem vitâ donati sint, mutata mortis poenâ in perpetuam incarcerationem. Quod, cum populo publicaretur; rei, qui omnimodam relaxationem speraverant, negarunt, hanc suam confessionem fuisse liberam, proinde brachio sæculari traditi fuerint, & quamprimum flammis addicti. Pateanus, qui multas ex archivis & monumentis authenticis suppeditavit circumstantias hujus actionis, quæ in aliis Authoribus non reperiuntur, rem aliter enarrat; nimirum cum novi Commissarii Anno 1309. constitui vellent repetere examen cum Magistro: hic coram eis edixit, quod per integrum decennium in Ordine fuerit, nihilque mali observaverit, attamen se paratum ad omnia, quæ ab illo exigere vellent. Commissarii ex his verbis aliiisque gestibus indecoris autumantes hominem delirum, ulterius non processerunt, & ad Episcopum Parisiensem, sub prætextu, quod ex Ordine fugitivus esset, miserunt. Post triduum tamen examen reassumpserunt; atque ex ipso quaesiverunt, an vellent Ordinem defendere; affirmanti opposuerunt propriam confessionem criminum: quæ, cum prælegereur, attonitus ille, cruce se signans, gravissimam mendacii vindictam Commissariis imprecatus fuit.

Anno MCCCXIII. Magister Jacobus Melagii, natione Burgundus cum Guidone Delphini, Magistro Normanniæ Parisiis ante aulam Regis ad palum ligatus igni traditus fuit. Hujusmodi vivicombarium alii in aliis Regionibus subire debuerunt; omnesque ferè Templarii exterminium passi sunt. Neque tamen, ut opinio popularis passim fert, ita simul omnes celeriter, uno temporis articulo, aut die, quemadmodum Galli Anno 1282. in Sicilia sub vespertas trucidati, sunt Templarii ubique terrarum extincti, ut nullus manserit superstes. In eorundem deletionem convocaverat Archi-Episcopus Moguntinus Concilium Provinciale. Ibi Hugo

Wildgravius cum viginti Ordinis Equitibus, recto vestibus ferro; contra omnium expectationem vultu minaci comparuit, ac litro mucrone prætendit, quod contra innocentes procederet convocati Præsules; quodque citra demeritum in Ordinem sacrum animadverterent. Deinde ad Clementis Successorem, melius informandum, provocavit. Conterriti Patres sibi que timentes jusserunt ingressos milites bono esse animo.

Quamquam verò multi Ordinis istius alumni viderentur infontes, quibus recti mores & inculpata fides; nonnulli etiam post debitam rigorosamque inquisitionem ab omni spolis intentato crimine absoluti; nihilo secius tamen post breve intervallum, quotquot in Germania reperti Templarii, omnino exterminati fuere: totusque Ordo ille nobilissimus olim & celebratissimus fuit suppressus in universo mundo. An jure vel injuria disquiratur in Republica litteraria, quæ hanc sibi vindicat licentiam suam interponendi arbitrium; non solum an res facta sit; sed insuper (citra tamen personarum intercurrentium læsionem) an bene vel malè peracta. Non ineptè tamen quidam scripsit. JUDICIUM DE CONTROVERSIA HAC, QUALE NON FERRI POSSIT; QUALE POSSIT FERRI, NON FERRI POTEST.

Non desunt, qui persuasum habent, quod in hoc facto non tam *jus*, quam, ut inverbis sonat litteris, *vis* intercellerit; quibus delervire poterunt sequentia Epichemata.

I. Ob quorundam Militum vitam regalis morum dissonam Ordo quidem Templariorum in vulgi linguas, quasi in scopulos infeliciter incidit, indeque miserè conquassatus: attamen longè deterior erat diffusus rumor, quam res ipsa. Ut enim Pausanias Lib. 8. sagaciter observat. *Ita comparatum est, ut qui signentorum portentis aures præbent, & ipsi*

non aliquid affingant Quo fit, ut mendaciorum quasi collusio veritas vitiosa prorsus suam auctoritatem perdat. Prudentiores autem plerique & solerti mente pollentes fidem turbido rumori merito denegabant, quasi viti religiosi promiscue tam enormibus vitiorum monstris addicti essent idque tempore tam diuturno. Siquidem, Seneca teste, *Difficillima est cuiusvis sceleris gravissimi fides.* Quomodo ergo tot tantaque simul conglomerata in hominibus, Christiana fide imbutis, possunt prudenter præsumi flagitia, larva religionis obducta, quæ in homines mente compotes vix cadere posse videntur? Neque ullam tenuem probabilitatis umbram sibi vendicat; nullos inter tot millesos diversarum Nationum extitisse homines, qui præter illa scelera indicassent: præsertim cum aliqui à fociis, vel Superioribus male habitati, vexati, seu iniquè gravati Ordinem deseruissent; qui haud dubie, cum maxima etiam exaggeratione inaudita crimina prodidissent. *Nam injuste laesus, cum evasit, sit vehementior hostis,* ait Thucydides *L. 3.* Nonne experientia ipsa demonstrat, quod aliqui ex communitate aut tribu, præsertim præter fas eliminati, de eadem minus honorificè loqui soleant; imo convitia in illius Præsides, aut quondam contubernales jacere nequaquam verecundentur? quos procaci lingua, licet innocuos, præscindere non desinunt. *In moribus comparatum videmus* (verba sunt Gregorii Nazian. *Orat. 4.*) *ut qui referenda injuria potestatem nactus sit: præsertim si ob ea, qua perpejus est justam irascendi causam habeat, sermonis iram reprimentis freno minime parcat.* Utique relegati ultionem suam sumere non intermississent, propalando turpissima, quæ Superiores permittebant, aut simul patrabant delicta; à quibus antehac indignè tractati fuerant. Nullus verò ex synchronis Scriptoribus hujus per aliquos factæ promulgationis mentionem injicit. Igitur vel ex ea

præsumptione Templarii videri debent innoxii.

II. Nullibi potuerunt Templarii milites in judicio horum per testes idoneos convinci criminum. Qui enim producti fuerunt ex ipso Ordine testificantes, multis erant nominibus suspecti, pariterque rei propriam turpitudinem revelantes, quibus nulla prorsus tribuenda fides. Sed neque in aliis Regionibus, præterquam in Gallia, per hosce Templarii convinci potuerunt. Ac, nisi inibi etiam variis dolose circumventi fuissent artibus seu strophis; suam quoque innocentiam probassent. Imbecilliores quidem dirissimæ quæstioni subjecti, ac miserum in modum excruciat, animo fracti, aut metu graviorum suppliciorum intentatorum, aut spe gratiæ alicujus obrinendæ, contra animi sensum locuti sunt. Nec mirum. **FRANGIT FORTIA CORDA DOLOR.** Quidni mollia eorum, quibus majus malum videtur cruciatus, quàm dedecus? Ut nullom tamen tantum corporis robur, sic nullus animi tam tenax vigor, qui non gravi falce curvescat & insupportabili sternatur mole. **ETIAM INNOCENTES COGIT MENTIRI DOLOR** apud Senec. *in proverb.* Quanquam illa tempestate fragosa & turbulentissima non defuerint impertentiti, atque invicti pectoris heroës, qui haud aliter

Virg. 6. Æn.
Quam si dura silex, aut stet Marpesia
cantes.

Omnium tormentorum impetus constantissimè sustinuerunt, & immanem torquentium sævitiam generoso animo despicientes, impacta sibi crimina mente intacta inficiati sunt. Atque ut

Æn. 2.
Quondam etiam victis redit in præcordia virus.

Plurimi eorum, qui tormentorum atrocitati alias succubuerant, edicta postmodum revocârunt,

vocârunt, hisque contraria asseverârunt. Fuerat supremus Ordinis Magister An. 1306. à Clemente P. M. litteris evocatus, quasi de bello sacro cum illo agere vellet; atque ut Mezeræus & Raynaldus memorant ad hunc annum, Magister Hospitalariorum simul citatus. *Super quibus tecum, & cum dilecto filio Magistro Domus militiae templi, de quorum (NB.) circumspècta probitate, & probata circumspèctione ac vulgata fidelitate fiduciam obtinemus, deliberandum decrevimus &c.* Hic, quamprimum cum 60. Equitibus aliis Parisios venit, fuit statim custodiae traditus, iussu Regis, Quæ postmodum spe liberationis dixerat; ad Regem perductus, retractavit. Illius verba ex Authoribus antiquioribus hæc recitat Mariana *Lib. 15. cap. 10. Histor. Hispan. Ego extremo vita tempore, cum inutili mendacio locus esse non deberet, vera esse nego, ac per omnia Numina juro, quæ de Templariorum impietate criminibusque ex ante jactata & recitata sunt. Ordo enim ille sanctus, justus & orthodoxus est. Ego tamen extremo supplicio dignus, qui, Papa Regeque hortantibus, flagitta impia sceleraque ementitus sum in Ordinem meum de Religione Christiana bene meritum. Quod utinam, ô utinam! nunquam factum.* Vid. Raynald. ad annum 1313. eadem referens ex Emilio, qui *Lib. 8. de gestis Franc.* perhibet, quod præfatus Magister Jacobus de Moyla busto impositus ac admoto paulatim igne primoribus pedibus ad extorquendam noxarum confessionem, ne tunc quidem; cum, reliquo corpore depaisto, vitalia sædo nitore torrentur, ab hujus orationis constantia desciverit, aut mutatae mentis spectamen præbuerit.

*Uruntur atque insons torredi viscera sentit
ignibus: ast magnos superans virtute dolores.
Perstitit ille animo vultuque immotus eodem.*

Neque ipse, neque duo alii cum illo, eodem mortis genere confecti nobilissimi comilitones, quorum alter erat Delphini Allobrogis frater flammarum furentium ardore potuerunt adigi, ut, quod iudices vellent, coactè enuntiant.

*Suffecitque malis animus, nam corpus ab illo
accepit viros, vixque ferenda tulit.
Ovid. trist. L. 3. Eleg. 2.*

Cum vexarentur, & dirè exagitarentur, vexatores vicerunt: & dum mortem oppeterent, de illata sibi & universo Ordini injuria, vi ac suppressione, stupentibus spectatoribus, protestati, ipsos iudices perterritos reddiderunt; ut legere est in continuo Chronico Nangiano. *Jacobus Templaria milita Magister affectus est cum tribus aliis principibus Templarii nominis, adeoque constanti vultu, ut ne cruciatum quidem sentire putarentur.* ait Sabell. *loc. cit.* Quid, quod multi, sine cognitione causæ, & confessione delicti, sint interempti? Vid. Kranzius *Lib. 7. Vandal. cap. 47.* Hocque demum extat, quod omnium admirationem efferebat, quod illa ipsa, quæ ad Templariorum dedecus & infamiam adversarii moliebantur, ad earundem gloriam cedere ac manifestè redundare inviti conspiciabant. *Innocentius* (scribit Hieronymus *ad Demet.*) *inter ipsa tormenta fructur conscientia bono: & inter malignitates, dum de pœna metuit, de integritate gloriatur.*

*Ambulat in modios salamandra illasa
per ignes:
Nempe illasa manet semper & integritas.*

Villaneus, & post eum Naclerus *Generat. 44.* aliique memoriæ prodiderunt, monachos & religiosos homines quorundam Templariorum combustorum cineres, velut sancto-

sanctorum Martyrum reliquias, collegisse domumque asportasse.

III. Ne quidem maxime creduli sibi in animum unquam inducere poterint, quod omnes omnino in sacro Ordine amplissimo professi Religiosi; quos Jacobus de Vitriaco ob inignes virtutes magno laudum præconio afficit, his tam enormibus fuerint infecti criminibus, ut nec unus alterve fuerit immunis. *Perturbatione temporum eos etiam omnes, qui vero iudicio nullius criminis convinci queunt, maximis involvi criminibus hæud est verisimile* prudenter censet Gregorius Pachimeres *Lib. 1. Hist.* Sed & ipse Inquisitor Generalis per Galliam in *Literis Commis.* profiretur, quod non intendat negotium super Ordine assumere: sed solum contra singulares suspectas personas. Infontes autem cum nocentibus interimere, nefas est, id quod lex naturalis & scripta expressè prohibent; dum Exod. 23. legitur. *Infontem & innocentem non occides?* Quod, dum factum fuisset ad falsas delationes sine delectu personarum, Adastrea Nemesis binos scelestos accusatores è carcere dimissos à tergo secuta est; quando unus non multò post fuit patibulo affixus, alter violenta morte interemptus, referente Tithemio in *Chron. Hysan.* Nec reputari debet leve innocentia argumentum, quod supremus Ordinis Magister, abique Equites (inter hos Neapolitanum fuisse tradit *Æn. Sylvius Europ. Hist. cap. 43.*) in extremo supplicio Papam intra dies 40. Regem intra annum ad Dei tribunal citarint; ut redderent rationem de violata oppressione innocentium commilitonum: uterque autem, miserimo fato, intra illud tempus interierit. Papa quidem dissententiâ Anno 1314. die 20. Aprilis animam efflavit: Rex obiit morbo Medicis incognito, cum infirmitatis vel periculum mortis nec pulsus indicaret arteria, nec urina præfageret, ut in *cit. Chron.* legitur. Decessit Rex 29. Novemb. omnino improvise in ætate

florida, infœlix in posteris, quos brevi tempore imperantes, non secus ac fulgura, cito evanescere vidit Francia, Deo peccatum vindicante, qui ait. *Ego Dominus fortis Zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum.* Exod. 20. Horum mortem eo anno contigisse aliqui quidem negare volunt: sed Maltaeus in *Chron. Meierus, Onuphr. &c.* satis evincunt.

IV. Quandoquidem Templariis benedixisset largitulque fuisset divitias multas, Atque Ordo substantiam hujus mundi possideret, Philargyria Clementis, Regique gratificandi studium immodicum; Philippi avaritia, Potentiæ innatum malum, ut Plutarchus ait in *Pyrrho*, occasionem, quæ malitiæ solum deest ad consummationem, præbuerunt tum binis ad carcerem perpetuum damnatis militibus, tum aliis alienatoribus aulicis cunctos Ordinis hujus alumnos tam fœde diffamandi, quomodo S. Antonius post alios censet apud Raynaldum, id confirmantem. Labet hic recensere ea, quæ Sabellicus *Ennead 9. cap. 7.* scribit. *Joannes Boccacius, cujus pater per id tempus in Gallia negotiatus est: quique Templariorum supplicio interfuit, ex eo se audivisse prodidit; fuisse ea tempestate, qui per suasum haberent. Philippum regem, quia primoribus ejus Ordinis divitias invideret, magis rapina studio, quam religionis questionem in eos acerbissimam exercuisse, ut homines ejus professionis flagitii convictos perderet.* Quare, ut parum tuto loco stat innocentia, ex Ammian. Marcellini opinione *Lib. 15.* Rex Gallia ratus esse nunc tempus acceptabile quo sibi formidabiles deponeret potentes de Sede, tam sævè in illos animadvertere iussit, ut optima quæque eorum, etiam immobilia Filco (hic ab Angelo in *sum. Verbo Fifeus, vocatur ex jure. SACCUS SINE CONSCIENTIA, QUI IMBURSAT OMNIA MALE QUÆSITA:*) adjudicaretur, regiumque ararum

rium locupletaretur, reditus ac possessiones omnes iisdem auferrentur: quorum partem dum Rex Pontifici Gallo offerret, facile hunc in suam partem traxit sacra fames. Quo tandem, ut juxta Tacitum, *Annal. Lib. 2. Innocentes plerumque recenti invidia impares*, Templarii succumbere debuerunt: quemadmodum satis prolixè enarrat Cit. Chronic. Hirsau, à Joan. Trithemio accuratè conscriptum, & in fine elapsi sæculi ex Bibliotheca Sanct-Gallensi typis mandatum. Sic verificatum fuit illud Polybii *Hist. Lib. 5. Nimum potentes & regibus suis formidabiles miserum & tragicum tandem vita exitum ab ipsis regibus; à quibus, si formidari & metui voluerunt, consequuntur*. Sunt qui referunt Philippum regnum Hierosolymitanum filio suo destinasse; cumque sibi in eo proposito experiretur Templarios obstrepentes, opportunam gratamque eos perdendi attripuisse occasionem. Quæ autem in Petri Puteani Historia de Templariis, potius Apologia, ab hujus fratre edita leguntur in defensionem Philippi, meritorio calamo scripta haberi debent.

V. In Concilio Salmanticensi, convocato ab Archi-Episcopo Toletano, Mariana *loc. cit.* perhibet, non minus; quàm Moguntino, teste Serratio, *Rerum Mogunt. L. 5. in Epist. Petro*, uno eodemque anno scilicet 1310. celebratis, fuerunt Templarii declarati impactorum criminum expertes. *Ergo admisserunt, non prodiderunt crimina accusatores infantium*: ut in simili arguit Pet. Chrysol *Serm. 175.* Adstipulantur Authores non oblocui nominis, qui leodoriani Ordini Sacro impactam censent, quo audientium mala de Templariis concepta opinio fuit roborata. Inter illos Bocarius, Coævus Scriptor in Hertruria percelebris *Lib. 9. de Casib. viror illust.* Joan. Villani, Florentinus Historicus pariter synchronus. *Lib. 9. Hist. cap. 22.* S. Antoninus *3. p. Chron. tit. 21. cap. 1. §. 3.* Trithemius & Amilius *ll. cc.*

Papyr. Mafonius *Annal. Gall.* alique bene multi, qui rebus probè examinatis, asseverant, decumanas esse calumnias & conficta crimina; ut immanis sævities, specie honestiore, apud vulgus excusarentur. Graphicè Seneca. *Malè facere qui vult, nusquam non inveniet causam: Malevolus semper sua utitur natura ad nocendum.* Porro quod prætenditur, nullos alios tententiam & executionem improbare præter hæreticos & Gallici nominis inimicos, falsum esse patet, tum ex AA. citatis, tum ex Nauclero, Alberto Argentor., Miræo &c. apud & cum Drexelio.

Templarios omnes meritiò extirpatos justasque scelerum suorum pœnas tulisse; Ordinem illum jure in Ecclesia extinctum suadere possent rationes minimè contemnendæ.

I. Ex Alexandri III. & Honorii Pontificum Romanorum scriptis in aprico est, Templarios minus conformiter suo Instituto vixisse; sed ingressos viam latam, quæ ducit ad inreritum: habeturque ex gravissimis istius ævi Scriptoribus, eos fuisse Christianæ Reipublicæ molestos, imò valde perniciosos; quando scilicet sancto Ludovico obstiterunt, populoque fideli universo, clam iniro cum Saracenis fœdere, plurimum nocuerunt; de quo videri potest Continuator Guiliel. Tyri; quando Barbaris, bona Christianorum diripientibus, sese impiè associârunt; plures Provincias ferro & igne horrendum in modum devastârunt, spolia opima extulerunt, Athenarum urbem, eorumque Ducem, Brennæ Comitem crudeliter, abscisso capite, mactaverunt &c. Certè Alvarus Pelagius ex Ord. FF. Minorum Episcopus spectatæ integritatis, alique minimè fidei suspecti Scriptores, coævum aut supparem, Templarios multorum facinorum reos non obscure tradunt. Gravi infamia nomen eorum per universum mundum laboravit; adeo ut Templariorum vanitas, effrænis vivendi licentia,

licentia, qua, ut Terentius ait, omnes sunt deteriores, eorum intemperantia atque ingluvies cunctos fideles scandalizaverit, qui commellationibus dediti, atque abdomini ferventes, decumanos exhauriebant calices, ut quivis eorum, quod de Diethimo Atheniensi vulgatum, dici potuisset, *Infundibulum*; aut, quod Xenocrati Rhodio improbratum, *amphora* potius quam homo iure vocatus fuisset, cum etiam apud nostros in proverbium abierit. Et iussit enim Templar. Insuper refert Puteanus in *Hist. Templ.* quendam virum, nomine Foulgues, vitæ sanctimoniam clarum Richardo I. Regi Angliæ consuli, ut tres filias, scilicet superbiam, avaritiam & Luxuriam aulâ suâ relegaret; Regem verò falsè respondisse, has jam dudum elocatas, & quidem superbiam Templariis, alias aliis. Rectè quidem. Cum enim indiscreta felicitum pedisse qua sit superbia, ut Latin. Pacatus *cap. 20. paneg. Theodos.* dixit; Templarii non itaquentes suæ felicitati modum, nec cohibentes efferentem se fortunam, altius atque altius elati spem rerum majorum ac potiorum animo concipiebant; quod teste Polybio *Hist. Lib. 11.* Argumentum præbet, homines adversus Republicam moliri seditionem, sibi que obstantium internecionem. Et quia superbiam patitur concomitantur æmulatio, parendi dedignatio, insolentia, rebellio; à quibus monstris, in Ordine Templariorum fortis, Ecclesia tunc sibi metuebat, providè ea suffocavit una cum foventibus. Neque inhumanum hoc: sed potius circumspècta quædã solertia censei debet; cum multi ut Justinian. in *Novel. Constit. 30.* loquitur, paucorum animadvertione salvantur. Proinde in Templariorum extinctione contigit, quod industrii observant medici; qui in corpore, si quid huiusmodi est, quod reliquis partibus nocet, ne illud in eas serpat, urunt & secant.

--- in medicabile vulnus

inse recidendum, ne pars sincera trahatur
Metam. 1. f. 6.

Quod etiam appositè Cicero 8. *Philip.* allegat. Sed & sacræ Pagine idipsunt requirunt; cum auferre malum de medio jubent, ut audientes cæteri, timore perculsi, non audeant talia perpetrare *Deut. 29.* Laudibus summis decoratus fuit hoc nomine Junius Brutus, primus Romanorum Consul, qui suos, & fratris filios, quod cum Aquiliis & Vitellis, ad recipiendum in Urbem Tarquinos, conjuraverant, virgis cæcos, securi percuti iussit. *Liv. Lib. 1.* Dionysius *Lib. 4.* Florus *Lib. 1.* Orosius *L. 2.* Entrop. *L. 1.* Plin. *de vir. Illust. cap. 10.* Valer. Maxim. *Lib. 5. cap. 8.* Laudatus pariter Titus Manlius Torquatus, qui Consul bello Latino filium suum, quod contra Republicam pugnasset, capite plecti mandavit. *Livius Lib. 8.* Florus, Plutarch., Frontin., Plin. &c. Cæterum observat Natalis Alexander *Hist. Eccles. tom. 7. Sac. XIV. Dissert. 10. art. 1.* Aliquos scripsisse, quod eo tempore, quo condemnati sunt Templarii, nullus Author coævus dubitaverit de justitia factæ condemnationis, quamvis quidam putaverint, quod cum uno vel altero non ex regulis æquiratis actum fuerit. Hunc quidem virum scientissimum Thomasius familiari supercilio in hoc arguit, quod nesciverit quid scripserit. Verum id melius sibi ipsi applicasset; quanquam, quod semel chartis illiniverat, omnes à forno redeuntes scire gestiebat; ut apud Horat. *Serm. 1. Satyr. 4.* legitur.

II. *Judicium determinat causas Sap. cap. 26.* Atqui Generalis Concilii Viennensis Patres, solum Deum præ oculis habentes, post maturam exactamque deliberationem, quemadmodum Martinus Polonus in *Chron.* aliique sinceræ fidei Scriptores animadvertunt, unanimi sensu & iudicio, in Spiritu Sancto congregati Templarios proscipserunt; Ordinemque hunc, ut Ecclesiæ noxium, nequaquam tolerandum amplius: sed quamprimum publico Decreto sanciverunt extin-

extinguendum; eorum bona Mansioni Hospitalis Hierosolymitani aliisque familiis religiosi, aut piis usibus addixerunt. Quos omnes Ecclesiarum variarum Præsules, Universalem Ecclesiam simul repræsentantes, negligentia in negotio gravissimo atque iniustitia, seu incertitia arguere nemo audebit, nisi qui sapit ultra sobrietatem.

Excipiunt Templariorum Patroni contra præfatum Decretum; voluntque quod citra formam juris fuerit in inquisitos processus institutus; quodque à diversis Pontificibus Romanis confirmatus sacer Ordo sine ordine juris sit subito destructus à Pontifice, & Assessoribus Gallis Templariorum hosti devotis. Verissime enim expertissimus 2. de orat. scripsit Tullius. *Plura judicant homines aut amore aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permutatione mentis; quam veritate aut præscripto, aut juris norma aliqua, aut iudicii formulâ, aut legibus.* Iudicii formam usitatam non fuisse in rigore observatam satis manifestavit Clemens V. dum sententia inferuit. *Ordinem Domus militia Templi Hierosolymitani non per modum definitivæ sententiæ (cum eam super hoc secundum inquisitiones ac processus desuper habitos non possumus ferre de iure, sed per viam provisionis, seu ordinationis Apostolicæ) irrefragabili & perpetuò valitura sustulimus sanctione.*

Attamen aliis doctissimis Juris Consultis illud minime obstare videtur, quo minus iudicium, in causa Templariorum à Pontifice latum, fuerit integrum, non quidem secundum apices juris modumque alias consuetum; qui hic commodè observari non poterat: sed ob causas gravissimas intermitti debuit. Nihilominus essentialiter integrum esse asserunt; adhibitis scilicet iis, quæ necessariò & indispensabiliter requiruntur, nempe citatis auditis reis, actoribus probantibus &c. Ordo bis mille testium gravatus depositionibus,

fuit in continenti abolitus, qui sine majoris damni præsentissimo periculo, atque totius Ecclesiæ maximo scandalo, diutius stare non poterat. Erat quippe dispersus per varias Orbis Regiones; ac in quibusdam Provinciis ejus professores, quorundam factione, per varias Synodos absoluti ab omni crimine, quorum non uno in loco insinulabantur. Visum itaque Viennensis Concilii Patribus Ordinem eundem, tantoperè gravatum, aboleri non posse, nisi per modum & viam provisionis, atque ordinationis Apostolicæ. *Negotiis difficillimis sæpe dispositio tempestiva prospexit: & statum mutantium rerum, recto consilio in bonam partem accepto, aliquoties divina remedia repararunt, ut soletter annotat Ammian. Marcell. Lib. 26.*

Porro cum pro iudiciis stet præsumptio juris quod rectè iudicatum fuerit; qui Templariorum innocentiam tueri conantur, hos omnes in Concilio congregatos Præsules necesse est, ut reos constituent, quo impingunt contra Syracidis gnominam. *Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est iudicat.* Ecclesiast. Cap. 8. Hos cum Thomas in Thes. insigni temeritate, stupidos censuraverit, hic ipse censuram incurrit censor. Rectè iudicasse sapientiæ laude vitos præclarissimos, confirmatur ex responsionibus ad argumenta, quæ pro parte Templariorum afferuntur.

Ad Primum Responderetur. Quod Ecphrasius, inquisitorum acta, Pontificum Bullæ, aliæque Apodictica ad evincendum sufficienter iustissime Templarios fuisse condemnatos, postquam septuaginta duorum Equitum testimoniiis irrefragabilibus convicti essent; qui coram ipso summo Pontifice liberè, spontè, absque ulla coactione aut timore (verba sunt Diplomatis) ostendunt Ordini nequaquam esse afficta crimina: sed iis verè infectum, ac sceleratam internam, corruptelamque actualem publicæ infamiæ correspondere. Præ cæteris hic audiendus venit Puteanus in
Hister.

Histor. Templ. En, ait, veritatem hujus hystoriae ex actis hactenus probatam. Quis deinceps fidem adhibeat Scripioribus, non dicam extraneis: sed Gallis quoque Philippum Pulchrum Tyrannidis & avaritiae accusantibus; quasi Ordinem innocentem injustis criminacionibus oppressisset? Quidni potius post quaesiciones, ducentis quadraginta Templariis propositas, post auditos in tota Europa Christiana bis mille testes, consensum omnium Principum Christianorum, decretumque Concilii cujusdam universalis & infallibilis... confidenter arguamus ignorantia & temeritatis hystoricos nostros, quod tam male informati, tam parum solliciti de honore Galliae, maluerint communi sequi errorem vel affectus quorundam Scriporum quam defensionem suscipere nostri Regis, satis per se facilem, vocatis in subsidium vel extraneis Scripioribus, ex quibus discere potuissent, actiones hujus Ordinis abominandas, ejusque impietates atque impuritates Dei hominumque iram in se provocasse. Neque multum refert quinam fuerint primi delatores: sed sufficere debet, quod semel delata sine vacillatione defenderint, fuisse facta. Enormia quidem sunt, quae deposita fuerunt contra inquisitos, non tamen incredibilia: quia nihil tam enorme & execrabile, quod homo, qui suis relaxavit fræna cupiditatis, excæcatus tandem admittere reformidet. Siquidem ubi

*Perire mores, jus, pietas, fides,
Et qui redire nescit, cum perit, pudor,
Ibi scelerum omnium colluvies.*

Idololatriæ occasionem cum Barbaris commercium facile præbere potuit: juxta illud. Cum per verso perverteris. Item. Commixti sunt inter Gentes & didicerunt opera eorum: & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Psal. 105. Virtia carnalia ex otio, crapula & bonorum affluentia ubertim gignuntur & commodè nu-

*triuntur: & quidquid est abominabilis fe-
ditatis ex sublecutiva mentis caligine ortum
trahit. Multos perdidit aurum & argentum.
Ecclef. 8. Item. Nihil est iniquius quam a-
mare pecuniam: hic enim & animam suam
venalem habet. Ib. 10. Quod hujusmodi
nefanda scelera intra sæculi, & quod excur-
rit spatium, à nullo fuerint prodita, mirum
haudquaquam videri debet. Singulorum
namque fuit commodum præstare silentia re-
bus. Quidam apprehendebant turpissimum
esse matris suæ turpitudinem revelare, Or-
dinisque, quem profirebantur, dedecora
manifestare. Alii commodorum aut honorum
aliquando obtinendorum ab Ordine fiducia
inducti, facile flagitia illa non tantum celave-
runt; sed iisdem sese patiter contaminave-
runt. Nonnulli denique, qui sua spe frustra-
ti, ab Ordine segregati, muti permanserunt,
veriti Ordinem potentissimum, ipsique Prin-
cipibus formidabilem, de eo talia prodere,
quorum plena probatio videbatur difficilli-
ma, qui proinde in defectu sufficientis pro-
bationis ultimam perniciem sibi imminere
providè apprehenderunt. Omnes, qui alter-
rum in iudicium vocant, providere debent
non solum quid oneris in presentia tollant: sed
etiam quantum in omnem vitam negotii susci-
pere conentur ut prudenter hortatur Cicero
Att. in Ven. Profectò lite pendente actor
nunquam non de vita periclitabatur. Neque
videtur à vero omnino alienum, quod qui-
dam satis cautè hujusmodi piacula ad inqui-
sitionem aut Ecclesiasticos Præfules detule-
rint, qui aut muneribus corrupti, ulterio-
rem indaginem intermiserunt; aut panico
timore perterriti, contra validiores & sibi non
subjectos processum sumptuosum atque exi-
tialem instituere minimè ausi fuerunt. Quis-
quis suis rebus metuit: ad aliena animum
non adjicit; quod is timor, quem de propriis
habet, ab omni eum prorsus alienorum cura
avertit. Dion. Lib. 38.*

*Ad Secundum Respondetur. Nunquam
potuisse*

T t t

potuisse aliquid contra testes excipi ; quidquid sit de primis accusatoribus horumque intentione. Secundum juris formam plurimi Templariorum fuere convicti ; quemadmodum perspicue deducitur ex actis & processu tam in Gallia, quam cæteris Regionibus observato. Multi confessi sunt crimina ; nec præmiorum spe, nec pœnarum metu inducti. Conenserunt quoque omnes in eorundem criminum confessione : præterquam quod aliqui scelera atrocissima quædam abnegaverint, quæ plerique affirmaverant commissa ; manifesto documento ; ex animi sententia fuisse locutos. Nonnulli quoque adjunxerunt tales delictorum circumstantias, ut vel hinc illos falsa proferre, nemo prudens suspicari poterit. Magistri Moylæ retractatio (orationem illius fictam Puteanus probat) frivola fuit, quasi crimina spe liberationis promissa fuisset confessus. Rectè namque Quintilianus Senior sensit. *Decad. 3. 4. pr. Ego enim confessionem existimo qualemcumque contra se pronuntiationem : nec me scrutari lex jubet, qua quis causa confessus sit.* Sed & parum testatæ veritatis est, quod Magistro huic, si factum agnosceret, immunitas promissa fuerit, id, quod apud coætaneos non legitur. Frustra ergo prætendisset, spe liberationis, se, quæ non fecerat, confessum. Imo rem suam deteriorem reddidisset, quippe *Argumentum reatus est innocentiam jacture post confessionem culpæ.* Salvian. *Epist. 3.* Quid ? quod ipsemet Sultanus Babylonie proditorem & perfidiam Templariorum detestatus sit, & eorum litteras ad Imperatorem Romanum miserit : de quo ex Matthæo Paris memorat Mezeræus. Perperam autem hic allegatur quorundam constantia, quæ revera fuit ex irrationabili & inflexibili mentis obstinatione proveniens pertinacia, quæ pro signo innocentie neutiquam haberi potest ; cum exemplis doceamur, fuisse aliquando Diaboli Martyres ita obstinatos, quam pugiles Christi in agone constantes.

Huic quidem occurrit Thomafius *Thef. 50.* vulque quod hæc ad argumentum responsio valeret fortè, si versemur in materia mathematica non morali. Quo, quid sibi velit, Oedipo conjectore opus est. In materia morali varii hæretici pertinaciter tormenta subiisse visi, non tamen ideo innocentes habiti ab Orthodoxis. Falsum quoque est, quod Disputator prætendit ibidem, quasi nullæ firmæ conjecturæ militarent contra Templarios, præter generalem illam, quæ iudicibus & actis favet. Fuerint fortè, qui cineres combustorum collegerint ex superstitione, quæ, ut Curtius ait, humanum mentium est ludibrium ; non ideo sunt innocentes reputandi ; æque minus ex eo, quod, ut præfertur, quorundam togæ non sint crematæ : quia hæ, ut falsè quis reposuit, erant innocentes : sed iis induri culpabiles. Superstitio, errore quodam mentis, famulatur falsitati.

Ad Tertium Responderetur. De Templariis appositè dici potuisse illud *Psalm. 13.* *Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quodli etiam paucissimi quidam innocentes inter eos extitissent ; qui in tanta colluvie correpti duram sortem subire coacti fuissent : id quidem non erit absolute probandum ; exigentibus nihilofecius rerum circumstantiis, ac superveniente confusione trucidati sunt in turbine, vel quia præsumebantur nocentes, quemadmodum omnes, qui sunt militari ætate, post victoriam, seu in occupata, armata manu, urbe occiduntur ; quia armis, auxiliis, aut consiliis juvissent censentur : vel quia sine illorum cæde Ordo ille, universæ Ecclesiæ noxius, aboleri non poterat ; proinde sine discrimine obvii strati sunt, sicut in direptione Urbis, quam Imperator licitè militibus permittit, quamvis prævideat multos innocentes esse perituros. Quæ de morte

morte Clementis & Philippi, aliorumque Praefolium condemnationi consentientium, vulgo feruntur; non usque adeo veritati sunt conformia. Atque etiam iis, intra breve tempus mortuis, immeritò quispian impinget, quasi ob iudicium iniquum praepropere sint sublatis. Sunt iudicia Dei inscrutabilia & investigabiles viae ejus Rom.

11. *Omne quod voluerit, faciet & sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quispian potest, quare ita facis.* Eccl. cap. 8. Reperiuntur, qui illud vulgatum alias ex temporis calculo conantur refellere. Gagynus & Aemilius turpiter hallucinati sunt, dum annum emortualem Philippi constituunt An. 313, quem constat Pontifici supervixisse. Ipsam citationem ad tribunal Dei, à Magistro Ordinis factam, carere fundamento observat Mezeræus. Alium quendam citasse & Papam & Regem primò Fulgosus tradidit.

Ad Quartum Respondetur. Ex illa Clementis Pontificis Bulla evidenter liquet, cui bona Templariorum fuerint adjudicata. In ea enim sic legitur. *Dispositionem personarum ac comprimis bonorum, quae possederant milites Templi, nempe ipsam Domum militiam, ceterasque Domos, Ecclesias, Cappellas, Oratoria, Civitates, Castra, Villas, terras, grangias, loca, possessiones, iurisdictiones, redditus, omniaque bona mobilia, & immobilia, ultra & circa mare, providit Apostolica Sedes Regibus ac Principibus assentientibus, in favorem Terra sancta integraliter ad Fratres Hospitalis devolvi, ut ad ejusmodi terrae recuperationem sive subsidium possent esse fortiores.* Nihilominus negari non poterit, quod etiam post alios prodit Nauclerus loc. cit. Quaedam Templariorum bona tum à Rege Galliae, tum ab aliis Principibus fuisse occupata. Nam

Utile turbat à piscis piscariæ unda.

Eadem tamen bona multo auro redempta postliminio ad Hospitalarios venisse refert

Pap. Mafonius Lib. 3. *Annal.* Anno 1315, inter Regem Ludovicum & Magistrum Hospitaliorum initus contractus ob 260000 Libras, aliaque debita, propter quae bona Templariorum fuissent obligata ratione expensarum in causa Templariorum, ut videre est apud Villaneum.

Non erit abs re eadem hic adducere, quae recentissimus è Societate Jesu Scriptor Gallus Gabriël Daniël tantoperè laudatus in Historia Francica, de hoc commemorat. *Processus* inquit, *ex eorum est numero, qui posteritati atque Authoribus etiam Gallis, materiam suppeditarunt, in liberas excurrendi conjecturas de intentione Philippi Pulchri.* Neque id valde mirum est: cum crimina Ordini isti imputata tam fuerint atrocita, ut omni carerent verisimilitudine. Sed contingere quandoque solet, ut veritas ibi locum habeat, ubi nulla adest verisimilitudo. Nec praterendum quod Mariana, haud obsecratis Scriptor Hispanus, advertit; vix credibile esse, quod Templarii tam citò in omni improbitatis genere degeneraverint, nisi Clementis Diplomata, quae inter Tabulas templi Toletani extant plurima, iudicio essent, famam nequaquam vanam fuisse, affirmantibus 62. ex Ordine, qui, quaestione coram se habita, scelera enumerata falsi, veniam petiissent.

Ad Quintum Respondetur. Quod si in quibusdam Conciliis Provincialibus fuerit Templariorum innocentia agnita; inde quidem suspicari licebit, nonnullos fuisse minus reos: Ast perperam infertur, quod ii, qui in Gallia, Italia, Hispania, Anglia &c. ab Inquisitoribus, Cardinalibus, ipsoque summo Pontifice in quaestionem vocati sunt, & scelera propria confessione agnoverunt, rei non fuerint eorum, quorum infamia, in universum mundum diffusa, propter majoris partis corruptelam in totum Ordinem redundabat. Salmanticensis Synodus, re maturè perpenla, processum Inquisitionis con-

tra Templarios institutum ad Pontificem remissit. Moguntina verò postmodum declaravit, se ex metu gravioris mali imminenti pronuntiasse. Ceterum Auctores pro parte Templariorum citati falsis utriusque rumoribus fuerunt afflati, qui per Italiam crepuerant, atque à Dantes Florentino, Poëta satyrico, Pontifici & Cardinalibus infesto, atque ob demerita exule, ortum præcipuè traxerunt: quos alii deinde subsequentes, citra debitam veritatis inquisitionem suis libris inseruerunt. Scitum est illud Salustii ad *Cesarem*. *Multitudo vulgi more magis quam iudicio post alium alius, quasi prudentiorem sequitur.* Nulla adeoque habenda reflexio ad illud, si Seneca credimus, quid vulgo, veritatis pessimo interpreti, probatum sit. Etenim ut Ennodius *Diction.* 1. §. appositè loquitur. *Momentis plerumque incerti favoris aula popularis impellitur, & nescia examinis turba Quiritium, dum rapitur, amat incognitos.* Celebratissimum quoque est Joannis XXII. P. M. pronuntiatum, qui rogatus, quid esset à vero remotius. *Vulgus inquit, Quidquid enim laudat vituperio dignum est: quidquid cogitat vanum, quod loquitur fallum, quod improbat, bonum, quodque approbat malum, id quod extollit infame est.* Interim non desunt sensati, qui criminibus illis Ordinem infectum adstruant. Inter hos Guido, Fl. Blondus, Volateranus, Rolevinck, Philippus Bergamus, Kranzius, Robertus Guardianus, Polyd. Vergilius, Genebrardus, Bzovius, Raynaldus, Petavius, Raynaudus &c. &c. Quo etiam propendet Elias Du Pin *Tom. 11. Nov. Biblioth. cap. 2.* argumenta pro reatu & innocentia Templariorum adducens; denique concludens, illa his prævalere, esseque sufficientia, ut condemnatorum iudices reddantur ab iniquitate immunes. Quam Thomasius 1705. pro Templariorum innocentia edidit Dissertatione Academicam haud magno loco habenda, quæ plus aloc quam mellis habet. Et dum

Dissertator ex odio Vatiano Pontificem, eique adhærentes immoderatè perstringit, semetipsum reprehensibilem magis, quam Templarios innocentes exhibet. Atque hæc fuerunt ambitionis cupiditatumque emerita stipendia, ut Cicero loquitur *de Senect.* Orbisque universus cum ingenti stupore spectavit illam prorsus admirabilem catastrophem florentissimi quondam Ordinis totius Reipublicæ Christianæ conspicui, post tot præclara in eandem merita. In qua illud revera occurrit, quod olim Diodorus Sicul. *Lib. 13. Hist.* observavit. *Nonnunquam (ait) id obtigisse conspeximus, ut qui potentia præstarent; quique quondam hostes suos longe viribus opibusque vicissent, momento temporis eo fastigio deturbatos in deteriore longè conditionem ruisse, qui tamen olim fastu, insolentiæque fortuna alios proterere solebant.* Vitium exitiale superbia est; & odio sui Reipublicam evertit. Non alta fortè causa magis Templarios afflixit, quam ex rebus bene gestis malè prognata superbia, quæ invidiam parit & odium; multorum autem odii nulla opes resistere valuerunt. Magna quidem & in speciem utilia gesserunt: Verum, quia eos ambitio immodica opumque cupiditas trahebat, non ratio; Ideo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam *Psalm. 72.* Paucis inter opum abundantiam ea contingere solet felicitas, ne à felicitatis specie & persuasione perdantur. Rarè in prosperis & deliciarum illicis satis cauta est mortalitas, ipsa in adulatione sui prona. Quibus viri nobiles probrosè infecti, operi sunt iniquitate & impietate sua. *Magnum aliquid (phrasit est Chrysostomi in cap. 1. Rom.) de se ipsis imaginati, nec sustinentes ea via ingredi, qua Deus illos ingredi iussit, amentie cogitationibus immergi sunt.* Non is quidem imprudenter fidem detrahet omnibus illis, quæ vulgò de Templariis credita sunt, cui obversatur levis turbæ credulitas, in iis præsertim eventibus,

ubi

ubi aliorum facta discutiuntur. Plurimorum tamen fuisse criminum reos, vel sola eorum convincit superbia, initium omnis peccati. Eccles. cap. 10. Quæ cum deinceps insupportabilis esset in ipsis, qui nimium inflati, alios despectui habebant, *expulsi sunt nec poterunt stare* Psalm. 35. Merito itaque vociferatur Aufonius.

Heu nunquam stabilem sortita superbia sedem!

Templarii, qui *vescebantur voluptuosè, nutriebantur in orocis*, Thren. 4. Epulabantur quotidie splendide, ut lutum platearum delati sunt Psalm. 17. factique sunt ut stercus terræ, Psalm. 82. Unde, quotquot antea existerunt & post exorsi sunt Ordines Religiosi rectè instigari & compelli deberent, ut ea sine cunctatione emendarentur, quæ sensim in destructionem & defectum vergunt. Nostro etiam, ut Majorum, ævo interierunt Ordines sacri, qui in primæva sua Institutione videbantur promittere seriem nunquam interituram, quique olim Ecclesiæ Orthodoxæ fuerunt non parum proficui. At de illis dici poterat quod scriptum est Isa. cap. 33. *Concipietis ardorem, & parietis stipulam: spiritus vester ut ignis devorabit vos.* Quare Fraticellorum cœtus à Cœlestino V. quidem confirmatus, à Bonifacio VIII. & Joanne XXII. sic dissipatus. Cur Institutum pium Baptistæ Cremonensis à Paulo III. probatum, Edicto publico fuerit explosum: quibus de causis Humiliatorum, & ante annos non multos Crucigerorum Itolorum familiæ, suprema interveniente potestate, interierint in aprico est. Aliqui etiamnum subsistunt, qui imaginaria quadam assecuratione de permansione in finem mundi persuasi; esto ruinam non metuant, collabentem tamen disciplinam, quæ Religionis est anima, nil boni ominentem, apprehendunt: juxta illud Prov. cap. 13. *Egestas & ignominia ei, qui*

deserit disciplinam. Quò vergit immoderatus in opulentis quibusdam Monasteriis pretiosorum utensilium usus, apparatus lautus, viam sternens ad luxum, divitiarum abusus, regularum observantia neglecta; illiusque incuria, quod unicum est necessarium. Neque minima causa fuit, cur fervor & disciplina refrigerit in Religiosis pauperibus, frequentior excursus. Cum enim magna multitudo excrevisset; sed à veteri zelo ac pietatis ardore paululum recessisset, precibus & interdum urbanitate querendæ fuerunt Eleëmossinæ, inde licentior egressus, evagatio & conversatio, quodque hominem, externa sectantem, sequitur, cellæ odium ac tandem disciplinæ everfio. Sic rem acu tetigit eruditissimus Adamus Conzen Soc. Jesu Theologiae Doctor in præclaro illo Opere de Polit. Lib. 6. cap. 46. §. 10. ubi, paucis interjectis hæud à janua aberrans, profequitur. *Et si rem inspicimus, apparebit præterito sæculo monasteria magnarum urbium disciplinam tenuisse; in oppidis valde laxatam fuisse. Nam longus erat petendus commeatus, pauci aut poterant; & inter paucos, crebro peregrinantes, non potest diu rigor servari. Quo autem magis a primævo instituto receditur, eo benedictio divina sese magis retrahit; crescitque & aggravatur cura vivendi; efficiturque, ut quos maxime domi collectos sedere expedit, eos dura necessitas exeat; ut in pericula quidem primo acedia & fastidii rerum sacrarum, deinde in gravia peccata impellat &c.* Vir in multis expertus cogitabit multa: & qui multa didicit enarrabit intellectum. Eccles. cap. 34.

Nequetamen solæ illæ crebræ evagationes pro victu ad terminos, ut vocant; religiosam disciplinam flaccidam languidamque reddidère. Sed, quod notatu dignum est, ex Joanne Moberno Abbate Liguriacensi in Reseto 1. cap. 3. sub finem observat Cornelius à Lapide in cap. 2. Of. Varios Ordines variis de causis à primæva sanctitate, & præco-

splendore descivisse, V. G. Cluniacenses propter otium, Cistercienses propter negotia nimis ruralia, Præmonstratenses ob nimia Misericordiarum & Chori onera, sicut Mendicantes ob nimiam cum sæcularibus familiaritatem, quia nimis se populo immiscuerunt, juxta illud. *Commixti sunt inter gentes, didicerunt opera eorum, & factum est illis in scandalum.* Benedictini ob nimias opes. Addit verò citatus Abbas, præ cæteris Ordinibus in suo nitore & vigore stetit Carthusianos ob studium silentii, solitudinis, ac strenuam Visitatorum vigilantiam; quæ tria hoc versu, licet obscure, exprimuntur.

Per tria Si, So, Vi Carthusia permanet in vi.

Id est, per silentium, solitudinem, & Visitatorum curam Carthusianorum Ordo permanet in vigore.

Quod si Moburnus temporibus subsequen-
tibus institutos Ordines Religiosos à primæ-
va deinde vidisset elongatos sanctimonia, &
disciplinæ rigore; hujus rei rationes adæqua-
tas, omnibus non usque adeo notas & per-
spicuas, patefacere non intermisisset. Quod
dum alii Zelotes, intentione non mala, præ-
stiterunt, scorpiones à leniter punctis
senserunt sibi inflictos. Audivit Bellarminus
asper & mordax; quia in Libro de gemitu co-
lumbæ fontem unum lachrymarum propo-
suit Religiosorum quorundam Ordinum
laxationem; quam dissoluti alumni uspiam
cerni inficiantur. Esse autem tales Religio-
nes, res adeò nota est, scribit Major in 4.
Dist. 38. num. 48. ut nemo, nisi cæcus non
videat. Sed non est novum, quosdam ita cæ-
cutire, præsertim in causa propria; ut no-
tum est exemplo, quod refert Joannes Ni-
derus Lib. 1. de Reform. Relig. cap. 9. Epis-
copi ex Ordine collapsi assumpti: qui audi-
ente ipso Nidero pertinacissimè inficiatus est,
suum Ordinem esse collapsum. Quantum-
vis, inquit citatus Scriptor, luce fuerit clari-
us toti mundo, contrarium esse verum. Sed
sensibile, juxta sensum positum, non facit

sensationem, multò minus intra sensum po-
situm. Perspicaciori oculo hujusmodi defe-
ctiones vidit, & non uno loco falsè perstrinxit,
vel hoc solum multis uttica (hac, opinante
Plinio Lib. 2. cap. 12, nihil invisius) invisior
Albertus Kranzius, qui *Metrop. Lib. 4. cap.
37.* ingemiscens scribit. *Utinam illo fervore,
quo res inchoantur, perennarentur. Quæ
in re nimium falluntur Fundatores. Degene-
rant enim in deterius omnia, quod in proba-
tissimis quibusdam Religionibus spectatur,
Inde crebra Reformationes ac secuta deforma-
tiones.* Sat notum est, quid hac in parte Patres
Concilii Tridentini sanciverint, quod qui-
dem summi Pontifices laudabiliter statuerunt
exequi: sed plerumque, propter obices,
in efficaciter. Atque, ut facta præterita certa
documenta dant futuris; Vaidici simile
quoddam fatum, esto non tam sævum his
Ordinibus ominantur, quale Templariis;
quando plerique nomine tenus religiosi dis-
solutè ac remisse perrextint vivere, ac magis
magisque à regulari observantia suarum Con-
stitutionum deflectere. Cujusmodi extare, si
etiam concederetur: equidem viri religio-
sissimi inmodicam Cani Licentiam, acriori
lixivia abluendam censent, dum Lib. 5. cap.
hæc inseruit. *Dubium non est aliquos Ordines
non modo inutiliter, verum noxiè etiam ap-
probatos. Etenim in tam multis & Ordinibus
& institutis usque adeo religioni incommoda-
tum est: ut inter reliqua malorum remedia
hæc etiam à Synodo Generali jure ac merito
expectarent viri pii; ut, paucis quibusdam
selectissimis retentis Ordinibus, cæteri omnes
exploderentur.* Ubi verò quis opponet, hoc
argumento infirmari auctoritatem Ecclesi-
asticam in judicio morum, quasi in eo sit fal-
libilis: cum tamen orthodoxi tam in hoc
quàm in Decretis fidei anamartissimam credant;
reponit Canus, quædam de moribus Eccle-
siæ judicia sine dubio certa esse debere: eo-
rum scilicet morum, qui ad salutem neces-
sarii sunt: ast negat locum habere in Ordini-
um

sum religiosorum approbationibus, citatumque sic concludit caput. *Nostro vero hoc seculo tam multa sunt religiones a Pontificibus confirmata: ut qui eas tueri voluerit tanquam Ecclesie utiles vel necessarias; hic impudentie, ne dicam stulticia nomine jure optimo summisque rationibus arguatur.*

At vitio huic gravi (sic Varro vocat abstinium) quem Cardinalis Baronius mallet potius prudentiam Canum, quam nomine, eodem jure iisdemque rationibus alii appositam oggerent, quod Demosthenes *Oratione prima contra Aristog.* scripsit. *Qua ex re impudens appellatus est, nisi quia ista, quae neque sunt, neque facta sunt, propter impudentiam palam dicere nihil pudet?* Stertuit utique spectatissimi alias Theologi critis, cum libertori calamo haec expressit; neque illi tunc occurrit Ecclesiasticis dogma: *Cavendum sapienti ne alicubi impingat;* dum censuit optimo jure summisque rationibus illum impudentiae, si non stulticiae arguendum, qui cunctos a Sede Apostolica approbatos Ordines religiosos sustinet Ecclesiae utiles; quo certe nomen suum obscurasse compertum est. Apud Salomon. *Eccles. cap. 10.* muscis in unguento morientibus comparavit vitium a sapiente admissum. Sicut enim muscae in unguento quantumcunque fragrans, collap-

sa, si illic moriantur, unguentum corrumpunt, & bullis veluti scabie obducunt: sic parva saepe stulticia seu error admissus a sapiente, homini, ob sapientiam & reliquas naturae dotes claro, multum existimationis adimit. Estque haec parva ad tempus stulticia seu comissus error, quantumvis levis & brevis pretiosior omni ipsius sapientia & gloria, quantumvis excellenti & prius eximia: id est, in communi opinione plus aestimatur, dum caedat & commaculat aestimationem errantis. Ita construendum *loc. cit.* ex Hebraeo observat hic Tirinus, citans Pagninum, Vatablum, Isidorum &c. &c.

Haec subligata praeter instituti rationem, non tamen omnino extra calcem, seu, ut apud Ammianum *Lib. 21.* legendum putat Erasmus, extra callem. Quicumque autem Controversiam sic dispositam perlegerit, mecum subscribere non detrectabit illud Propertii *Lib. 3. Eleg. 11.*

*Certa quidem tantis causa
est manifesta ruinis:
Luxuriam nimum libera
facta via est.*



CON-